
SIGNA STEMMATA ELOGIA
CASTELLAE GENTIS.

PARS PRIMA.

ILLVSTRISS. DOMINO
D. MARCHIONI
IVLIO CASTELLO.

DOMNVS SEVERVS BONINVS
Congregationis Vallisumbrosæ.



FL. Apud Cimattios. Ad Signum Liviæ. 1626.

Superiorum permissu.

SOLI DEO
HONOR ET GLORIA.

Imprimatur.

Fr. Franc. Hier. Orengus de Papia L. S. T. Vicarius S. Officij Forol.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

MARCHIONI IVLIO CASTELLO.

QVA obseruantia, & deuotione te prosequar Marchio Illustrissime alio nullo certiore probare possum argumento, vt iam à mè tibi dictum fuisse non ignoras, quam calamo in nostris carminibus; Cum verò negotijs rebusq; meis distractus his non dum finem imponere potuerim, nunc ne tibi vacuus appaream, & aliqua saltem ex parte meo faciam satis desiderio, multa simul Elogia, quæ mihi maiorum tuorum venerunt ad manus, colligere, primamquè hanc partem ad te mittere decreui; quamquam danda mihi venia est, qui confusè, atq; inordinate, nulloq; siue temporum, siue personarum delectu habito omnia prima impressione congessi; Accedit huc Typographi incuria nam quot errores, & menda in hunc nduem vestrorũ Heroum irrepserunt? Tu quod tuæ laudis est libenter amplectere, quod alienæ inscitiæ, ac negligentiæ est, ignosce. Spectaui id vnum, vt tibi gratificarer, atq; seruirem hoc etiam, quod nuper concinnaui Elogiorum additamento. Vale, & salue plurimum.

A S. Martino die xxv. Martij 1626.

D. V. Illustriss.

Deditissimus Seruus

Domnus Seuerus Boninus Cong. Vallisumbrosæ.

CASTELLA

IOSEPHI CASTALIONIS ANCONITANI

CARMEN.

VMBRIA magnorum genetrix fecunda virorum
Antiquo iactat quamquam celebrata colono
Oppida & à prisco deductam sanguine gentem
Haud tamen inlata floret regione propago
CASTELLIS veteri quæ certet stemmate claris.
Hibis sexcentos numerant reuoluta per annos
Nomina maiorum, qui nacti pace, vel armis
Immortale decus liquere nepotibus amplis
Et titulos, & opes generis munimina honesti.
Vos, ò vos tanta delapsi in tempora nostra
Stirpe viri summa partam virtute parentum
Qui proprio instatis laudem splendore tueri
Conspicuam sæclum famam profertis in omne.
Vmbria magnanimis elata superbit alumnis
Omnis, & Hesperius vestro tumet orbis honore.

IVLII CAPILVPI MANTVANI CENTO.

Aen. 7. EST locus Italiæ in medio ditiſſimus agri, Aen 10.
Aen. 7. Nobilis & fama tardis vbi flexibus errat Georg. 3.
Aen. 7. Sulphurea Nar alb. aqua Terniq; vagatur Aen 15.
Aen. 1. Per populum late regem belloq; ſuperbum
Georg. 1. Illic magna domus; celſis caput vrbibus exit Aen. 8.
Aen. 5. Cui genus, & quondam nomen dedit armaq; fixit Aen. 1.
Georg. 3. CASTELLA in Tumulis tot iam labentib. annis Aen. 2.
Aen. 1. Per tot ducta Viros antiqua ab origine gentis
Eccl. 4. O mihi tam longe maneat pars vltima vitæ
Spiritus, vt liceat totum mihi ferre per Orbem.
Aen. 5. Tum genus omne tuum pariter pietate vel armis, Eccl. 8.
Egregium Heroum laudes, & facta parentum, Aen. 6.
Georg. 4. Magnanimoſq; Duces, pugnatq; in ordine bella Eccl. 4.
Virtuteſque viroſq; atauorum antiqua ſonantes Aen. 7.
Aen. 1. Nomina per Reges ſublimi gloria tollit Aen 12.
Aen. 1. Progeniẽque immota manet multoſq; per annos Aen. 10.
Eccl. 2. Mille virum voluens durando ſecula vincit. Georg. 2.
Aen. 10. At tu magne Pater puraq; in veſte Sacerdos IS. ANA Georg. 2.
Eccl. 5. Formoſi pecoris cuſtos dum vita manebat, ISTAS. Aen. 12.
Aen. 11. Mœnibus in Patrijs Cæli de parte ſerena Aen. 6.
Eccl. 2. Huc ades, & votis iam nunc aſſueſce vocari, Aen. 9.
Aen. 7. Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo. Georg 1.
Aen. 6. Huc geminas nunc flecte acies, hanc adſpice gentẽ
Aen. 3. Et genus, & manſuram vrbem ſerua alta Parentũ Aen. 2.
Aen. 3. Mœnia, magnanimos centum complexa nepotes. Aen. 6.

Hoſpes qui Caſtellorum Nahartium
Elogia animaduertìs
Inter Nahartes latè ſplendidisſimos
agnoſce Caſtellos.

Paci æternæ, fortunæquè reduci
Splendidiſſimę CASTELLIÆ gentis, eiuſq; virtuti
Sacrum.

Quæ in tot domeſticis inuictæ virtutis
Heroibus
Maximis pro Chriſtiana Republica rebus geſtis
effulſit
Narinenſium, totiuſq; Vmbriæ gloriam
Auxerunt.

CASTELLI de Sancto Euſtachio
Ab inclytis Nahartium Principibus
Caſtri Fortis Marchiones
Poſteri deditiſſimi.

SIGNA, STEMMATA, ELOGIA
collocarunt.

Anno Domini M. DC. XII.

Hoſpes qui Caſtellorum Nahartium
Elogia animaduertìs
Inter Nahartes latè ſplendidisſimos
agnoſce Caſtellos.

Paci æternæ, fortunæquè reduci
Splendidissimę CASTELLIÆ gentis,eiusq; virtuti
Sacrum.

Quæ in tot domesticis inuictæ virtutis
Heroibus
Maximis pro Christiana Republica rebus gestis
effulsit
Narinensium, totiusq; Vmbriæ gloriam
Auxerunt.

CASTELLI de Sancto Eustachio
Ab inclytis Nahartium Principibus
Castri Fortis Marchiones
Posteri deditissimi.

SIGNA, STEMMATA, ELOGIA
collocarunt.

Anno Domini M. DC. XII.

AD GLORIAM DEI,
ET MAGNÆ VIRGINIS ANNVNCIATÆ,

ac Iuftorum memoriam.
Oddoni Nobiliffimo, & Illuftriffimo Duci

Nahartium Principi.
Vgonis primi Filio
Adomonis Nepoti
Maronis Pronepoti
Petri Abnepoti
Arnulphi Atnepoti
Luponis II. Trinepoti.
Romanis Atauis longa ferie
Clariffimæ CASTELLÆ Gentis
Nahartium Principibus.

VV. CC.

Pijs Victoribus
Domi forifquè clariffimis
ob humanæ conditionis memoriam
Ad Pofteritatis ornatum,
incitamentumquè.

MARCHIO IO. IVLIVS AGAPETVS CASTELLVS DE S. EVSTACHIO
Marchionis Ioannis Francifci filius
Marchionis Ioannis Baptiftæ Nepos

Nico-

Iulij Agapeti Romani Nobilissimi Pronepos
Agapeti Papiniensium Domini Abnepos
Georgij III. Atnepos
Andreassi Senioris Trinepos
ex
Iannotto Patre
Andrea X. Auo
Iannutio Proauo
Andrea IX. Abauo
Georgio II. Atauo
Ioanne XV. Tritauo
Nicolai II. Filio
Ioannis XII. Auo
Nicolai I. Proauo
Raymundi IV. Abauo
Andreæ IV. Atauo
Ottonis ex Oddone Illustrissimo Narinensium Principe
Tritauo
D. D. D. Q.

NICOLAO II. CASTELLO nobilissimo Interamnæ
Nahartium Moderatori.
Ioannis XII. ex Plautilla Paparescha, Romanis proceribus,
Filio,
Nicolai I. ex Semidea Normanda, Romanis Magnatibus,
Nepoti,
Raimundi IV. ex Nahartium Principibus,
in defensione euersionis Interamnę
contra Imperiales copias Friderici I. Imp.
fortiter dimicando defuncti.
An. D. M. C. LXXIV.
Ex Valdrada F. Comitis Casertæ, & germana
Arioldæ vxoris Rugerij I. vtriusq; Siciliæ Regis,
Pronepoti.
Andreæ IV. Narinensium Principis
Generalis Gubernatoris armorum Ducatus Spoleti,
dum in eiusdem. Vrbis obsidione, & deuastatione
eidem Imperatori fortiter obsistebat
gloriose perempti
An. D. M. C. L. V.
Ex Euridice, ex magnis Tusculi, & Galeriæ
Comitibus, Romanis Principibus
Abnepoti,

VV. CC.

Regio, in Vrbe, Vicario Caroli vtriusq; Siciliæ Regis.
An. D. M. CC. LXX.
Et eodem prosenatorio munere,
Diui Greg. X. P. M. iterum honestissime perfuncto.
An. D. M. CC. LXXIII.
Animi candore, & magnitudinę magnis Antiquis
comparando.

Ex

Ex
Eo, & Beatrice Castella Filia Ioannis VI. perpetui
Vrbis Præfecti, ex Vicanis Principibus,
Superstite Magnifico, & potente viro
IOANNE XV. ex quo, & Sueua de Comitibus,
Romanis Equitibus
Georgius II. Marchionum Castellorum de S. Eustachio,
Ex Laudentia de Aquila,
D. G. Fundanis Comitibus, Romanis Dynastis
Propagator genitus extitit.

DEO VIVENTI.

GEORGIO II. de nobilibus de CASTELLO
Ab Nahartium Principibus
Nobilissimo Interamnæ.
Ioannis XV. ex Sueua de Comitibus Filio.

V. C.

Sagittariorum, & Stipendiariorum
Magistro
Guelficæ Militiæ in Vmbria
Summo cum Imperio
Præfecto
Narinum ornamento, & decori
Superstitibus.
ex eo & Laudentia de Aquila ex fundanis,
& Vanna ex Dominis Clauani
Andrea & Neapulione.
ad recolendam eius memoriam,
quæ erga Castellum nomen enituit
CASTELLI Marchiones Romani Proceres
Posteri gratissimi
Sepulchrale Monumentum.
P. P.

IVDI-

I V D I C I V E N T V R O.

ANDREÆ IX. CASTELLO Georgij II. Filio
Io. Nepoti.

V. C.

Interamnatum Capitaneo
Castri Papineç Domino
Fœderis Guelfarum Regionum Vmbriæ,& partim Piceni
Generali Gubernatori
Stipendiariorum,& Sagittariorum Magistro
Copiarum Ecclesiasticarum inuictæ virtutis
Summo cum Imperio pluries Ductori
Præfecto perpetuo omnium Arcium Interamnatum
Oratori disertissimo pro Sede Apostolica apud
Cæsarem Constantinopolitanum
Qui à BONIFACIO VIII. Pont.Max.
Guelforum Vmbriæ sollicitatoris, ipsorumq;
propugnatoris acerrimi cognomen meruit.
Almæ Vrbis Senatoris Illustri
An.Dom. M CCC.XVIII.
Hasce ob res, aliasq; fortiter gestas
à posteris Marchionibus Castellis de Sancto Eustachio
Fortissimus Imperator elogio propè Maiorum
Triumphos quorum gloriam facile æquauit
virtutis,& memoriæ causa ornatus est.
Obijt Anno Domini M.CCCIXXX.
Superstitibus ex eo, & Massia de Præleonibus
ex
Principibus Romanis Nobilissima
Iannutio II. & Anastasio XV.
Et in Diui Francisci apud supremæ Familię suæ lumina
sepelitur.

CHRI-

CHRISTO DEO in quo mortui resurgunt.

IANNVTIO CASTELLO Andreæ IX. F. Georgij II. Nepoti.

V. C.

Inueteratæ prudentiæ Duci.

Prius equestrium Copiarum deinde Catafractorum
Ductori.

Quod Guelficis Vmbriæ copijs
Superato, debellatoq; Vico à Sancto Germano
totius Patrimonij Capitaneo ab Ecclesia defecto
Quod à Ludouico Bauaro Augusto,
tanta fuit eius obseruantia ergo Pontificiam maiestatem,
perpetui Vicariatus Interamnæ inuestituram respuit.

Quod sub Ludouico Siculorum Rege
Regalis Armigerorum Ductor denominari meruit
Quod Stronconienses ab Ecclesia deficientes
ad eius obedientiam reduxit.

Quod eiusdem opera, & auctoritate
Interamna ex publico decreto M.CCC.LXXVII. Ecclesiæ Romanæ
absq; aliquo pacto & reseruatione
se liberè, & perpetuo tradidit.

Quod opera, & consilijs huius prudentissimi
in omnibus grauioribus Vmbriæ negocijs
Ægidius Albernotius Cardinalis
Italiæ Legatus vsus fuerit,
militiæ summis honoribus ter perfuncto,
Tandem vigiliis potius, & laboribus, quam annis,
senio confectus, calculorum passione extinctus est.

Ex

Ex ~o, & Viuiana Clauella
Alberghetti Fabriani Domini Filia
superstitibus Andrea X. Galeotto, & Pistacchio.

CASTELLI Marchiones ab Nahartium Principibus
Posteri tantæ præstantiæ admiratores pignus
Hoc sempiternum famæ & nominis
P. C.

AN-

DEO in quo mortui viuunt.

ANDREÆ X. CASTELLO Iannutij filio Andreę Nepoti.

V. C.

Guelfarum partium Ducatus Spoletini
Capitaneo Generali
Belli apud Martinum contra Dominum de Menzoia
Duci fortissimo
Alberigo Barbiano Cunij Comite
Ecclesiastico exercitui imperante
Omnium Interamnatum Arcium, & Castellaniarum
Perpetuo Præfecto
A Ladislao Vtriusq; Siciliæ Rege
militari cingulo torquato,
eidem Regi ab Ecclesia digresso, bellicum
idem ornamentum magnanimè remittenti, ac
Deinde ab ALEXANDRO V. Pontif. Optim. Max.
ob illibatam fidem, & eximias eius virtutes
ense, & pileo decorato.

Postea Equestrium copiarum Ecclesiasticarum
præcipuo Ductori
Ludouico Angiuino S. R. E. Confalonerio
contra Infestissimum Ladislaum Regem creato
deinde à
IOANNE XXIII. Pont. Opt. Max.
grati animi, & virtutis ergo
pro splendidiori militiæ manutensione

regali-

regalibus introitibus Interamnensibus donato
iniqua opera Braccij Fortebraccij
auersæ partis in Vmbria Principis
vna cum
Iannotto, Paulo, & Galeotto II.
ex Benuenga
Vgolini Trincij, Fulginei Reguli, Filijs
In agro Interamnate
Apud suam Arcem Collis Lunæ misere necatis
Ciuitate, Prouinciaq; collacrimantibus
superstit. ex Iannotto, & Nicola de Monte Arcis D. Poli Dominis
Andreasso, Brunotto, Carolo, Tristanoq; postumo
Nepotibus Infantibus
Io. Baptista Castellus de S. Eustachio, Castri fortis Marchio
Ad recolendam licet exitu infœlicem memoriam
perpetui nominis collocauit.

CHRISTO REGI, CVI OMNIA VIVVNT.

Galeotto Castello Iannutij filio, Andreæ IX. Nepoti
nulli in re militari sui temporis ingenio, aut arte, secundo
Exercitus Equestris, pedestrisq; Ducatus Spoletini,
Generali Capitaneo
Sub Ludouico Partenopensium Rege
quinque millium peditum in Bello Sulmonensi,
& aliorum Exercituum Ductori,

V. C.

Virtutis ergo
Regio iussu spoliorum Diracłij Ducis ex parte donato,
Ladislai vtriusq; Siciliæ Regis magno Consiliario,
sub quo præcipuis militiæ gradibus functus
strenuè dimicauerat, ob idq; ab eodem
Terrarum Arnulfarum Comitatu, licet de re aliena,
fuerat honestatus,
Ab Ioanna Secunda eiusdem Regni Regina
Regni Siciliæ magno Siniscalco
designato.
Diem suum obijt extremum
Ex eo Margarita Smeduccia
Domini Santi Seuerini Filia
Brigita Moniali tantum superstite
memoriæ restituendæ causa
Ioannes Baptista, & Filij Castelli Marchiones
de Sancto Eustachio
Posterorum incitamento,
P. P.

MAR-

MARCHIONI PISTACCHIO CASTELLO
Ianutij Filio,
Andreæ Nepoti,
Militi Interamnæ,
Equiti Neapolitano.

V. C.

Comiti Montis Oderisij,
Ladislai vtriusq; *Siciliæ* Regis
M. Falconerio.

Et pro eadem Regia maiestate Prouinciarum
Aprutinarum, & Montaneæ Vicesgerenti,
Militaribus, & togatis artibus, titulisque onusto.
Ob res, vtroque tempore, bene, præclareq; gestas
vbique meritorum gloria viuenti.
P.

DEO RESVRRECTIONIS, EL VITÆ.

IANNOTTO CASTELLO
Andreæ filio Iannutij Nep.

V. C.

Bellatori Acerrimo
à primis Adoleſcentiæ Annis
Pace, belloq; pro Chriſtiana Republica deſudanti
Poſt viges excubias militiæ
Legionum Eccleſiaſticarum ſub
Vgolino Trincio Auo, Fulginei Principe,
Generali Locumtenenti
Poſteri Marchiones CASTELLI
Romani nobiliſſimi Equites
Poſterorum incitamento.

P. C.

IESV

IESV CHRISTO REDEMPTORI.

ANDREASSO CASTELLO
cognomento feniori
Iannotti Ecclesiasticarum Cohortium Ductoris
clarissimi Filio
Andreæ Nep.

V. C.

Vmbro Regulo
Regni Neap. Magno Comestabili
Ordinis Dragonici, ac Sancti Michaelis militi Torquato,
Pontificij exercitus bis septies
Præfecto.
Cunctis Pontificibus, Cæsaribusq; ac cæteris
Christianis Regibus,& Principibus
suæ ætatis maximè grato,
ab eisdemquè magnis bellicis Præfecturis
Summis beneficijs, & honoribus
honestato.
Qui annos natus vix XV. sub Imperio
Francisci Sfortiæ
Aduersus Braccium Montoriæ Comitem
Vrbis, Vmbriæq; Tyrannum,
ac vniuersæ Italiæ Imperium affectantem militans,
dum hic vulneratus in acie in Tentorijs
Sfortianis remeatur
memor Adolescens cladis suæ Familiæ
à Braccio illatæ
eum cerebro transfosso, magnanimè ausus
vita spoliauit
Ob res pro Christiana Republica bene gestas,

Itali-

Italiciq; nominis gloriam
apud Exteras etiam gentes propagatam,
& ad veteres Adoreas, auitosq; Triumphos
ornamenta plus quam Triumphalia domi forisq;
Iustis funebribus
A. D. M. CCCC. LXXXIX.
Die xvij. Septembris
Magna pompa Interamnæ in Diui Francisci
more maiorum
Publico Luctu Interamnatum
Nahartium ordinis, magistratuum,
militumq; interuentu, ac lachrimis peractis
eius rei, Patriæq; voluntatis monumentum
Abauo Opt. mer.
Marchio IO. BAPTISTA CASTELLVS de S. Eustachio
meritorum insignium contemplatione
ad posteritatis memoriam magis decorandam
hoc monumentum exornari, & æquè conspicuum
In gentilicio Sacello restitui mandauit.
A. D. M. D. C.
Vix. An. LXXXIX.
Natis ex eo, & Paula de Sancto Eustachio
Ioannis Podij, Catini, Forani,
& Cantilupi Reguli
Georgio, Antonio, & Poncello
Nulla relicta prole ex Vrsina de Vrsinis
Nepesinæ Ciuitatis, Marini Dominis.
Et ex
Victoria Mareria Domina de Ascreia vxoribus,
& Principibus Romanis.

DEO

DEO PRINCIPI FVTVRI SÆCVLI.

BRVNOTTO CASTELLO
Iannotti Filio
Armigerorum in bello boni publici dicto,
apud
Montem Leterium contra Carolum Burgundum
ſub Ludouico II. Francorum Rege
Ductori eximio
ſub magnis Principibus
Magnis perfuncto expeditionibus
Imperatorios titulos ſepius adepto
Nicola mæſtiſſima Mater, filio ſuauiſſimo
Ordine præpoſtero
Signum, & Sepulcrale monumentum
ac ſublimem ſupra gentiliciam in D. Petri Aram
ab ipſo excitatam molem poſuit:
vix. An. xxxv:

IESV

DEO FVTVRORVM BONORVM.

ANDREASSOTTO II. CASTELLO

Antonij, Armigerorum Florentinæ Reipublicæ
Ductoris clarissimi, filio
Andreassi Nepoti
Romanæ nobilitatis, & virtutis equiti,
Custodiæ Pontificiæ Præfecto
Militiæ magnis honoribus perfuncto
A. D. M. D. V.

morienti
& in angusto tumulo corporis immortalitatem
expectanti.

HIERONYMO TRISTANO CASTELLO
Tristani magni V. Q. Sic. Regis Consiliarij F. Iannotti Nep.

V. C.

Vti dignitatis, sic virtutis paternæ
Successori
De Turc-is Triumphali, ac Parthenopei Regis
Cohortum, Legionum, exercitus, militum
Summo
Sub Ferdinado II. Aragonensium Rege
Imperatori Amplissimo, inuictoquè
sacrum.
Ob singularem item Reipublicæ virtutem, & eximiam p . missorum
constantiam, & Fidem CASTELLA gente dignissimam
post Hydruntum expugnatum.
Iniqua Turcarum obsidione possessione per quadriennium detentum
eiusdem opera Christianæ Reipublicæ Regiq; restitutum
A. D. M. CCCC. LXXXI.
Neapoli reduce ouanteq; omnium procerum ordinumq;
gratulatione recepto
Ferdinando I. Aragonensi V. Q. Sic. Rege diuersis præcipuis
Præfecturis summisquè beneficijs honestato.
Iustis funebribus nouo exemplo maximaq; pompa Regio iussu:
Regiaquè persona intercessente persolutis
Marchio Io. Bapt. Castellvs de S. Eustachio Iul. senioris F.
Ex proaui patruele gratus pronepos
De Christiano nomine Opt. M.
Sepulcrale monumen tum in patrio solo
Debitum virtuti pręmium honestum posteritati exemplum posuit
Hortosq; Gentilicios eius victrici memoriæ dicauit.

DEO

DEO TRINO.

AGAPETO CASTELLO DE S. EVSTACCHIO
ab Nahartium Principibus Militi nato

V. C.

Georgij III. F. Andreassi Senioris Nep.
Domicello Vmbro Papiniensium Domino
Militaribus artibus prædito
Militum grauis armaturæ præfecto
Antiqua generis claritate rebusq; præclare gestis
Vmbra nobilitate nobiliss. CASTELLÆ Domus culmini
Bono Reipublicę nato, probitate & animi magnitudine
Antiquis comparando
Quod pro patriæ incolumitate, Familiæ salute, &
amicorum, ac Clientum beneficio nihil omisit cuncta subijt.
xxj. Nouembris A. D. M. D. XXVII.
Ætatis suæ LII. subita peste
debitum naturæ persoluit,
& in Diui Francisci inter Gentilium Cineres
ad nouissimum diem quiescit
Io Iulio Agapeto primogenito superstite
post Mariam Cast. Hieronyma S. Crucia de Vrsinis relicta
Comes GABRIEL, & Fratres CASTELLI,
grati animi pronepotes monumenti causa
ne tantæ præstantiæ exemplum
quod imitarentur posteri, periret
saxum dederunt.

DEO RESVRECTIONIS, ET VITAE.

IVLIO AGAPETO CASTELLO de S. Eustachio
ab Nahartium Princip. Equiti nato.

V. C.

Agapeti Papiniensium Domini F.
Pauli IV. Carafæ Pont. Max. ex Sobrino Nep.
Patriæ liberatori maiorum emulatori
posterisq; maximè imitando
Vix. Ann. LXXVII. M. III. D. XIX.
Obijt pridie Kal. sext. A. D. M. D. LXXXI.

Eadem luctuosa die vna cum Auo inueteratæ prudentiæ
Raphael ex Filio Nep. altæ indolis adolescens
immatura morte peremptus
A. D. M. D. L. XLIII.
ex Coronata Nicoletta de Vassarijs
Venerabili, & pientiss. muliere relicta
Marchio Ioannes Baptista Filius Auffiani Comes, ac
Petre fortensium, & Polinensium Regulus
Patri meritissimo, & peruerso ordine Fil. Cariss.
Marchionissæ Victoriæ Iul. Podiani ab Marsorum
Comitibus Carolinis
Pedisluci Dominæ perpetuæ ætatis suæ A. XL.
Vigesimi primi partus abortui labore
XVI. Iul. A. D. M. DXC. extinctæ
sibi posterisquè.

RESV-

Resurrectioni mortuorum IESV CHRISTI, & Iustorum
memoriæ nobilissimo viro
IOANNI BAPTISTÆ CASTELLO
de S. Eustacchio Iulij Agapeti filio.

V. C.

Dei & Apost. Sedis gratia
Castri Fortis Marchioni
Polinensium Regulo
ad beneficentiam noto
animi candore conspicuo
inexhausta in pauperes pietate
Splendida in omnes liberalitate
illibata in cunctis integritate
Qui auctam Familię dignitatem in tot aduersis
animi magnitudine sustinuit
Cuius memoria perpetuo recolenda in benedictione est
Vix. Ann. LXVI. M. I. D. XXIV.
obijt vt vsque viueret.
A. D. M. D. C. XIV. D. viij. Ianuarij
Marchionissæ VICTORIÆ Poianæ Vxori
Filij, & ex Filio Nepotes V V. C.C.
Parentibus optimis
eodem loculo in pace compositis
maiori qua decet pietate quam pompa
Merentes Merentibus.
P. P.

REGI CVI OMNIA VIVVNT.

IO. FRANCISCO II. CASTELLO de S. Eustach: ab Nahartium Principibus.

V. C.

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia
Castri Fortis, & S. R. I. Marchioni
Polinensium Regulo.

Cuius Illustris memoria in benedictione est.
Vixit tamquam moriturus
A. X. LII. M. VII. D.

Obijt publico damno, & communi mærore
Die xxvj. Octobris A. M. D. C. XII.
Marchionissa Eleonora Borbona à Monte
Coniugi suauissimo & concordiss.
Peruerso ordine perpetuo luctu.
P. M.

DEO

DEO PRIMO GENITO MORTVORVM.

DEIPARÆ VIRGINI AÑVNCIATÆ.

Marchioni IO. FRANCISCO CASTELLO de S. Eustach.
Ex Marchione Iō Baptista Iulij Agapeti Papiniensium
Domini Nepoti.

V. C.

De merendis principibus humanitatis,
& politioris ingenij laudem
Ex magnis ad magna nato
Quam magnificentia liberalitatem
auitamq; domus dignitatem
Illustribus Viris,atq; opt. cuiq; semper patuit
vt animi magnitudine sic re quantum
licuit, sustinuerit
Quod Principum beneuolentiam
sibi & Familiæ compar̃uerit
vixit suis, & non sibi
Marchio Io. Ivlivs Agapetvs Castellvs F.
parenti de Familia benemerenti
hoc voluit extare monumentum.

CASTEL-

RAINERIO II CASTELLO
Vmbriæ Duci Generoſiſſimo

Quod contractis è Nahartica regione lectiſſimis copijs
Ad Saracenorum inſanas vires frangendas
ac debilitandam audaciam
& Romanum Pontificem
iuuandum
properauerit.

Quod ab Atenolfo, & Landolfo Capuæ Principibus
& affinibus ſuis expetitus
Conſanguineorum ſuorum
Imperium tutatus
fuerit.

Quod huius Ducis opera Græcorum, & barbarorum agmen
quod aduerſus bonos Principes iam miſſum
fuerat ab Imperatore Conſtantinopolitano
Diſiectum fuerit.

PETRO III. CASTELLO Maronis filio
Galasso nuncupato
Marchioni, & Nahartium Principi

V. C.

Ottonis Cæsaris istius nominis III.
&
Henrici Augusti eiusdem nominis II.
Duci præcipuo
Qui ad expugnandam Italiam
barbara Saracenorum incursione
profligandosq; Mauros Apuliam infestantes
se felicissime gesserit.

GVI-

GVIDONI CASTELLO
Theobalbi Filio.
Interamnæ pro S. Rom. Eccl. in temporalibus Vicario.

Quod Regio ornatu, inter cęteros Principes, & Magnates,

post Præfectum Vrbis, & Senatoris, in Basilica
S. Laurentij extra Vrbem coronationi Petri
Altrudæ per Honorium Papam III. in Imperatorem
Constantinopolitanum, & Imperatricem eius Vxorem interfuerit
An. D. M. CCXVII.

Quod fuerit, ex illis tribus procerib. ab eodem Summo Pontif.
electis, eidem Imperatori honoris ergo,
extrà mœnia Vrbis, obuiam missis.

Quod in eiusdem Imperatoris Constantinopolim reditu.
ab eodem Pontifice, cum Ioanne Cardinale Columna,
fuerit missus.

Quod coniunctus, cum omnibus Vmbriæ, & Piceni Ciuitatibus
& Oppidis, quæ ab Ecclesia erant,
ad Sedis Apostolicæ tuitionem extiterit
An. D. M. CCXXXVII.

Quod eadem præcipue de causa summam iram
Imperatoris Friderici II. qui ab Ecclesia turpiter defecerat
sibi, & familiæ concitauerit,
obidque, Interamnæ, eiusdem Imperatoris armis,
oppressæ, & obsessæ, illi exercitui,
fortiter, & strenue resistens, gloriose occubuerit
An. D. M. CCXL.

IACOBVTIO, ET IAÑVTIO CASTELLIS
Ex Nahartium Principibus
Miræ virtutis adolescentibus
Qui ob mortem parentis, dum Spoletinam Ciuitatem
A potentiss. Federici Imperatoris
Exercitu obsessam inuictissime
defenderet interfecti
Mestissima Matre, tradit Comiti Guidoni Guerræ Palatino
In Etruria, tanquam sanguinis affinitate,
Coniuncto, ab illo humanissime
Excepti
Deinde ab eodem Imperatoris custodiæ curęq;
Commissi, tum paucos post annos adulti,
Memoresquè necis quam Imperator
in parentem intulerat
Imperatorem è viuis eripere decreuerunt,
Vt suæ Familiæ Patriæq;
Iniurias illatas vlciscerentur, quod quamuis Imperatori
Delatum fuerit nihilo tamen minus eorum
Virtutem, audaciamq; ipse demiratus
non modo non debitas de ijs
pęnas sumpsit
Verum etiam multis amplisq; muneribus
ornatos, & militari Baltheo donatos in patriam
remisit.

ANGE-

ANGELO CASTELLO
Petri VII. Filio
ab Nahartium Principibus
Vicanis Regulis

V. C.

Fortissimoque
Inclyto Almæ Vrbis Præfecto perpetuo
Summorum Pontif. hæreditario Iure Ductori
Frederici I. Imperatoris Equestrium copiarum
In Italia Gubernatori
Nunquam Deuicto
pluries Victori

FRANCISCO CASTELLO
Vicarijs Magnis in patrimonio Dynastis
perpetuo Vrbis Præfecto
Viterbij, Interamnæ, Orthe
non iusto Principi
Qui cum capitales inimicitias exercuisset cum Vrsinis Principibus,&
Anguillariæ Comitibus,
A Sum. Pont. enixe ad concordiam reuocatis,
Inducias inter vtriusq; Gentis Magnates,
centum annorum sanxit
An. Domini M. CCC. LXX.
Cum similes,& duriores inimicitias, & cruenta bella
cum ipsomet Senatu,Populoq; Romano haberet,
eademq;causa ab eod Pop. gentilicio Palatio sibi in Vrbe
super ruinas Thermarum Titi ad exquilias,& à familiæ cognomine
vt in registris Alexandri III. CASTELLARIA nuncupato incenso,
& euerso,
Ab ambabus partibus Gregorio XI. Sum. Pont.
Arbitro communiter electo
Bellorum causis dilatis
& eiusdem Pont. opera, & insudatione feliciter compositis
eod. Pont. auctoritate pacem iniuit.
An. Domini M CCCLXXV.
Ex instrumento in Apostolico Archiuio in Castro S. Angeli asseruato
& qui licet postea varijs malis de causis ab Ecclesia defecerit,
Et simul cum Bernabone Vicecomite, Florentinis ipsi
Confœderatis adhærentibus, contra Pont. Max. subsidia
dederit, & ob id ab eod. Pontif. iure merito aqua, & igne
interdictus extiterit
Tandem ad sanitatē reuersus, & absolutus magnus Ecclesiasticarum
partium defensor palam professus, & signanter
An. Domini M. CCCLXXVIII.
Et si magno Dei iudicio violenter Viterbij occubuerit
An. Domini ICCCLXXXVI. die viij. Maij

CON-

CONDELARDO CASTELLO
Romano equiti
Ordinis Gartheriæ militi torquato
Militum Ductori
Gloriosissimo

Non minus prudenti, quam forti,
in vtraque tamen virtute
admirabili:

Quod ductor egregius in gloriosissimo bello defunctus,
Cæteris ducibus, non tam ad
lugendum quam imitandum

A Rege gratissimo expositus fuerit.

PETRO CASTELLO
Viro sapientissimo
Bellatori ter inuicto,
Ductori fortissimo
S. R. E. Confalonerio, armorumq; Generali
Gubernatori, & Capitaneo

Quod à Clemente Pontifice sexto Cæli
Clauibus munitus pro Petri solio
aduersus Ecclesiæ perduelles
ad syrmas dimicauerit.

AZZO-

AZZONO CASTELLO
Duci præſtantiſſimo

Nominis immortalitate digniſſimo
Quod Othonis Cæſaris iſtius nominis II.
copias duxerit

Quod ab eodem Principe inter primarios illos
bellorum ſuorum Duces, ac laborum comites
adlectus fuerit

quod Regium theſaurum, & gazam opulentiſſimam
ex æquo diripiendam acceperit.

ROGERIO CASTELLO
Corni Domino,
Clauelli Caprettæ Comitis Filio adoptiuo genero herediq;
CLAVELLÆ Nobiliſſimę Prolis parenti feliciſſimo
Duci fortiſſimo

Quod bellum ſub Federico Cæſare I. initum glorioſe
profligauerit

Quod Fabrianum, magnum Piceni Opidum,
ceperit.

Quod ab ipſis Fabriani incolis, aduerſus Camertinos,
Anconitanos, Ariminenſes ſupremum
Militię imperium acceperit

Quod demum iuſtos eidem Fabriano Principes
Filios ſuos, nepoteſq; poſteros reliquerit.

AN-

ANDREÆ CASTELLO
ex Dominis Corni
Capoccionio nuncupato
Viro constantissimo, & sapientissimo

Quod Spoletinorum Ducem è viuis expunxerit

Quod Venetis Imperatoriam operam nauans Cretenses,
& Belli incolas defectionem meditantes
iterum
Reipublicæ Dominæ iussa facere
coegerit.

CASTELLIS COMITIBVS
PAGANO
ex regulis Castri Mirandæ apud Interamnam
ARRONO
ex Dominis Castri Arroni apud Nahartes
Gloriosissimis belli fulminibus
Quod Armenorum Regis Imperio ad obsessam
à Barbaris Hierosolymam euocati, &
Innocentij Pontificis III. auspicijs
prouecti, & triumphali
B. Petri vexillo
communiti
bellum fortiter profligauerint.

F TANO

TANO CASTELLO
ex Dominis Castri Anselmi
Ciuitatis Aretij in Ætruria Principi,
pro cuius defensione, & manutentione
à florente Pisanorum Republica equestris militiæ
Generali Gubernatori constituto.
An. Domini M. CCC. X.

Cum antea inter cætera eiusdem bellica magisteria
Generalis Capitaneus Fœderis Bononiensium
contra Principem Alidoxium, & eius dominia extiterit
An. M. CCC. IV.

Et pro S. R. Ecclesia generalis Capitaneus
contrà eius rebelles
An. M. CCC. XXV.
Vbiq; Vict. meruerit acclamari.

NICO-

NICOLAO CASTELLO
Colettæ nuncupato Henrici II.
ex Germana
Maſſij Barreſij Ducis Caſtrouillares Filio
Baroni, & perpetuo Domino Terrarum Perticariæ,
Corileti, Sarconis, S. Iuliani
Duci fortiſs.

V. C.

Ex præcipuis Præfectis regali exercitui Aragonenſi
Ferdinandi I. Vtriuſq; Siciliæ Regis

Quod cum eo ſignanter in planitie Rocchettæ
ſubtus Cathanſanum
in celeberrimo conflictu; & captiuitate Ioannis Cintigliæ
Generalis Gubernatoris armorum
Iannis Ducis Andegauenſis
glorioſè dimicarit

Obidq; non immerito eiuſdem nominis gloria
apud Pontanum lib. II. Hiſtoriarum
de Bello Neapolitano
An. M. CCCCLXI:
Satis fulgeat.

VALERIANO, ET MARTIO CASTELLIS

VV. CC.

Armis, & Toga præſtantiſs. eminentiſs.
Quod
magna, non minus virtute, quam inſigni nobilitate pollentes
in eorum temporum arduis, & grauioribus Italiæ negotijs
apud ſummos Chriſtianæ Reipublicæ Principes
Magno vſui fuere.
Quod
inter præcipuos Principes factionum,
qui pacis compilationes acceperunt
ab Imperatore Friderico I. & inſignioribus
Longobardiæ Ciuitatibus, in Vrbe Conſtantia,
deſcripti, & connumerati ſint
An. D. M. C. LXIII.
Teſtis eſt authentica
De pace Conſtantiæ conſtituta.

PER-

PERTICONI III CASTELLO
Generali Bononienfium Ductori
Bellica virtute admirabili.

Quod in pia nobiliq; expeditione Hierofolomytana
Salinguerræ Torrellij Ferrariæ
Domini Socius aduerfus
Veronenfes Guelfos

In vtroq; certamine magnam fibi gloriam
adeptus fuerit; Magnis fuę virtutis
Vtrobiq; relictis Veftigijs.

THOMÆ CASTELLO
Viro bellica arte sane
admirabili
Cui victori gloriosissimo magnam
triumphorum celebritatem
Debere se Bononia profitetur

Quod Ioannis Barbiani Cunij Comitis
armis animisq; ferocissimi
Bononienses adorti vires, & exercitum fregerit.

Quod Ducem ipsum in deditionem acceptum Bononiam
reuertens
Suum ante currum egerit,
triumphantium more
captiuum

Quod Bononiensibus arces, atq; opida, quæ à Tyranno acceperat
tanquam iustis dominis habenda permiserit

Quod vna cum Mutio Sfortia Soanam agressus, celeritate
maxima expugnauerit, ac Ladislao Regi cuius nomine
expeditionem illam susceperat, reddiderit

Quod amplissimi Equitum Ordinis miles egregius fuerit
nuncupatus, cuius etiam Ordinis supremus aliquando
fuerat moderator.

CATE-

CATELANO CASTELLO
Solemniæ Comiti
Duci, ac Bellatori fortissimo

Quod Francisci Mediolanensium Ducis Militię Pręfectus,
Singulari cum laude, ad Ticinum dimicauerit

Quod arcem non ignobilem (vulgo Castellum maius vocant)
expugnauerit.

Quod Ludouicum Pallauicinum ceperit captiuumque
Habuerit.

Quod à Mediolanensium Principe Solemniæ Comes
dictus, & creatus fuerit
Demum,
Et virtute propria, & aduentitio
Honore
Domum clarissimam amplificauit.

NICO-

NICOLAO CASTELLO
Pacis auctori ac Parenti
ſemper felici

Egregio animorum ac morum conciliatori

Quod Aſtorrem Manfredum, & Ioannem Acutum
Clari nominis Duces ſublatis armis
amicitia iunxerit.

Quod eidem Acuto Bononienſium copiarum præfecturam
Impetrarit

Quod Peruſinorum odia inteſtina turbaſque
placauerit

Quod vnus habitus ſit

qui ex lege penè Ciuitatem, ad officium,
reuocare potuerit.

DIONI.

DIONYSIO CASTELLO
Belli & pacis artibus clarissimo
Gloriosa patriæ patris
appellatione dignissimo

Quod Bononien. Rectorem egerit sapientissimum

Quod iustis armis Annibalis Bentiuolij consanguinei
iniustam vltus fuerit mortem.

Quod consilio, & manu contra vim Mediolanensis
Reguli Romano Pontifici Bononiam
conseruauerit.

ANTONIO CASTELLO
Generali Gubernatori
Imperialis equestris exercitus
Inuictissimi Caroli V. Imper. semper Augusti
in bello contra protestantes obijt,
vt gloriæ immortalitati
vbiq; viueret.

ROBBO CASTELLO COMITI
Mediolanensium Ductori
Rei Militaris peritissimo
De Florentiæ Ciuitate optime merito
Quod eam sapienti æquitate administrauerit,
& pulcherrimis nobilitauerit monumentis
Quod Pontem ad Vrbis ornatum commodumq; maximum
extruxerit
Qui adhuc auctoris retinet sui
& nomen, & decus.
Quod nullis FEDERICI I. Imperatoris minis
fuerit exterritus, nec exercitum
expauerit
Testis est huius victoriæ locuples Addua
adhuc humano sanguine tinctus
ac purpuratus

BEL

BELTO BRVNO CASTELLO
Bellatori fortissimo, vel
Regibus formidabili
Quod Tancredum Siciliarum Regem aduersus Octauum
Henricum Imperatorem rebellantem
Ianuensium ducto exercitu esse in eius
potestate Coegerit.
Quod siue cum Henrici Cæsaris VI. exercitum
Florentissimum duceret, siue Genuensium
copias moderaretur
Ductor semper affulserit Illustrissimus
Quod sibi suisq; maxime illuxerit dum immortalis
plenus gloriæ mortalitatem reliquit.

FVLCONI CASTELLO
Clarissimo Genuensis Reipublicæ
Consuli
Bellatori fortissimo

Quod supremo Ianuens. Reipub. cum imperio aduersus Pisanos
egressus arcem S. Bonifacij diruerit, soloquè
propemodum æquauerit

Quod triumphaturus Ianuam redierit

Quod ad Sultanum Ægypti Dominum allegatus
Barbari Principis eloquio fulserit

Quod arma quæ in perniciem Reipublicæ tractare
Meditabatur conuertere alio in loco coegerit

Quod secundum hanc legationem aliam ad Henricum
Cæsarem VI. susceperit, & ad Honorium Papam
huius nominis tertium.

Et Demum istis omnibus legationibus huiusmodi peractis
non habuit quò progredi posset
oratoris optimi omnibus iam
partibus expleta felicitas.

GIO-

GIOFREDO CASTELLO
Viro rebus arduis peragendis
solertiæ singularis

Quod à Ioanne,& Lucchino Matthei Vicecomitis filijs
Populoq; Mediolanensi Christianis Sacris
à Benedicto duodecimo interdictis

Propterea quod Ludouico Bauero contra
ius fasq; suppetias tulissent ad
Pontificem fuerit allegatus

Quod in tam graui difficiliq; negotio ea se dexteritate
prudentiaq; gesserit vt magno illorum bono,
sua gloria non minori à Pontifice
Quamuis irato reconciliationem
impetrauerit.

GERAR-

GERARDO CASTELLO
Nominis celebritate clarissimo
Prudentiæ,& fortitudinis
singularis

Quod Guglielmum Montisferrati Marchionem,
Ferdinandi Hispaniarum Regis Generum,
non beneuolentiæ minus,
quam cognitionis copulatione Deuinxerit

Quod Otthoni Mattheo Vicecomiti, Roberti Siciliæ
Regis, ac Turriani Guelforum Ducis,
conspiratione laboranti operam
insignem nauerit in
tempore.

DA-

DANIELI CASTELLO

V. C.

Fortiſſimo

Quod pro Ludouico Andegauenſi Siciliæ Regè electo
Aduerſus Ladiſlaum copias eduxerit
Cuius exercitum ſic fudit, fugauitq; vt ſpem etiam
Neapolitani Regni Regiſq; Ladiſlai potiundi
Ludouico fecerit
ſi arridentis ille fortunæ beneficio,
vti voluiſſet in tempore.

Quod ab ipſo Ladiſlao magnis muneribus euocatus, Regni
ſupremus moderator, & Conſiliarius
creatus fuerit.

Quod eiuſdem auſpicijs Conuerſanæ Comitem obſidione
validiſſima cinxerit

Quod demum victoriarum fructu cumulatus, à Ladiſlao
Magna Nobilium oppidorum ditione
Donatus exceſſerit.

RIC-

RI-CARDO CASTELLO
Bellaſchi libero Domino

Quod Ruſconios Comi Principes nobili ditione ſpoliaturus cum exercitu inuaserit

Quæ res è ſententia cecidiſſet niſi Mediolanenſium equitum agmen ſuppetias afflictis hoſtibus tuliſſet, ac vires

Quod multa prælia aduerſus infeſtiſſimos hoſtes ſuſceperit in quibus,& ſi virtus fortunam aliquando nunquam tamen fortuna virtutem deſiderauit.

AZZO-

AZZONO CASTELLO
Spazzani Baroni libero
& Principi

Rei militaris peritiſſimo
fortitudine glorioſo

Non minus nominis amplitudine
quam bellica virtute
eximio
Quod Etruriæ Vrbes primarias, Florentiam, Senas, Piſas,
Peruſiam, cæteraſq; vna confœderatis ductoribus
aggreſſus

Auro libertatem redimere
coegerit.

BARTHOLOMEO CASTELLO
Summis militiæ perfuncto honoribus
à Io. Baptiſta Platina in
Vitis Pont.
Viro præſtantiſsimo in armis
merito appellato.

BONIFACIO CASTELLO
Arcis Cornefidis Domino
Bellatori, & Duci Peritissimo

Quod olim vna cum Fratribus suis bellatoribus præclarissimis
Gerardum Comineum Treuisij Tyrannum
Adortus fuerit

Quod periculosissimo bello perfunctus, & defunctus
Gloriosę
Dux optimus desideratus
fuerit

Quod Hostibus formidabilis, & tyranno humanĩ
prope timoris experti,
vel moriens
terrori
fuerit.

MARI-

MARINO CASTELLO
Bellorum Moderatori ſcientiſſimo
Armorum vſu præclaro,
Prudentiæ ſingularis

Quod ſub imperio Proſperi Columnæ Senioris militiæ
moderator extiterit ſapientiſſimus.

Quod ei olim Franciſci Magni Galliarum Regis
cuſtodia commiſſa fuerit,

Cum in iniquitate fortunæ in
Caroli Cæſaris V. captiuitatem
adactus eſt.

TANAQVILLO CASTELLO
Imperatori fortissimo
Regię administrationis peritissimo;

Quod Parisijs summa cum potestate Præfectus clauum
vniuersi Galliarum Regni felicissime
Rexerit

Quod Regij exercitus moderator generalis à Carolo Rege IX.
vocatus, montem Laterinum, frustra repugnante
fortissima Sequanorum manu
expugnauerit.

Quod militiæ illius inter primos initiatus insignibus fuerit,
Quam Michaelis Bellatoris sanctissimi
nomine scripsit
Galliarum Rex Maximus
Vndecimus Ludouicus.

CASTEL-

CASTELLIS VICANIS
ab Nahartium Principibus.
VV. CC. PP. FF.
Almæ Vrbis D. G. gloriosiss. Præfectis perpetuis
Summorum Pontificum Ductoribus
Papali munere, aurea rosa, pileo, ense perpetuo decoratis,
corona rubro cooperta, sceptro, atticlaue pcioso, purp. mãtu insigniti
Dalmatica etiam, in nocte Natiuit. Domini
canentibus septimam Lectionem indutis
libero iure Cudendi, eodemq;
Libero iure magnis in Tuscia Regulis
Viterbij, Vrbisueteris, Ciuitatis Castellanę, & Orthanæ,
Sutrij, Ciuitatis veteris, Insulæ Martanæ, Bracchiani, necnon
Interamnæ Narnię, & aliarum plurium Ciuitatum, & oppidorum,
præcipuè apud Vmbros, potentissimis Dominis.

Petro, & eius	A. D. M.C. O V.	Ioanni	cІↃ. cc. lxiij.
Edio	cІↃ. c. vj	Petro	cІↃ. cc. lxviij.
Ioanni	cІↃ. c. xxx.	Ioanni	cІↃ. ccc. ij.
Petro	cІↃ. c. xxxv.	Ioanni	cІↃ ccc xxxvj.
Ioanni	cІↃ. c. iiiil.	Teobaldo	cІↃ. ccc. lxvij.
Angelo	cІↃ. c. lv.	Gottifredo	cІↃ. ccc. lxxv.
Petro	cІↃ. c. lxiv.	Angelo	cІↃ. ccc. lxxviij.
Petro	cІↃ. cc.	Ioanni	cІↃ. ccc. lxxxv.
Gottifredo	cІↃ. cc. xxvij.	Francisco	cІↃ. ccc. lxxxvij.
Ioanni	cІↃ. cc. xxx.	Iacobo	cІↃ. cccc. vl.
Petro	cІↃ. cc. xxxxiij.		

Ne splendor claritatis eorum saltem apud Domesticos
penitus extinctus appareat
Eorundemq; memoria cum sonitu perijsse videatur
Cenotaphium in reminiscentiam transitoriæ
Potentiæ, &
In signum inanis, ac fucatæ gloriæ Mundi
Marchio IO. IVLIVS AGAPETVS
Marchionis Io. FRANCISCI CASTELLI de S. Eustach. F.
PP. MM.

CA-

CASTELLIS ROMANIS MAGNATIBVS.

VV. CC.

INCLYTIS ALMÆ VRBIS CONSVLIBVS, & Senatoribus.

